





THRENODIÆ
BEATIS MANIBUS
Viri Honestissimi ac integerrimi

Dn. LUCÆ WENDII,

CIVIS, MERCATORIS ET AROMATARII APUD SEDINENSES SENIORIS AC PRIMARII.

Mense April. 17. hor. 12. N. ex hoc mundi Ptochotropheîo ulceratissimo & tristissimo in lætissimum ac cælestie πολίτευμα *piè translati, & ejusdem Mensis Die 23. pompâ, ut fas est, honorificâ ac lugubri tumulô recondendi.*

Ab
Amicis, Ducalis Pædagogij, quod STETINI floret, alumnis honorificè oblatæ.


ΕΤΕΟΜΗΝΟΗΜΕΡΟΣΤΙΧΟΝ

oCtaVVs bIs & VnVs AprILIs VbI aXe reLVCet,
VVenDIVs(heV!)DIrâ toLLItVr â LaChesI,

P. P.

STETINI, Typis NICOLAI BARTHOLDI.

Mors certa eſt, incerta dies, ho-
ra agnita nulli,
Poſtremam quare quamlibet
eſſe puta.




CIP.

I.

CIPPVS LITERARIUS

LUCAS hîc gelidâ recubat tumulatus in urnâ
VVENDIUS, insignis vir, pietatis amans;
Vir prudens, justus, annis & rebus abundans,
Vir dignus Patris nomine, dignus avi.
Consessus Mercatorum primarius ille
Extitit, & Senior non sine laude bonâ.
Aegris auxilium, miseris solamina præbens,
Nullis afflictis defuit ipsus ope. (*hinc jam,*
Sumpsit aquam vitæ *ex VERBO, dum vixit: &*
Dante Deo, vitæ *perpetis haurit* aquam.

ταχύ Vltimi honoris gratiâ erectus
â Petro Pezenichio Stetino-Pom.



II.

LUCAS VVENDT.

per Ἀναγ.

VULNUS CEDAT.

Defunctus loquitur.


VULNUS CEDAT atrox curarum, felle gravatum,
Mundum dolore decoquens.

 Ecce

Ecce ego lætitijs jam plenus, in arce suprema
Vitam perennem transigo.
VULNUS CEDAT item, subitò, pede, cordis acerbum
Mordaxq; conscientiæ.
Ecce ego tranquilla in cordis mentisq; quiete
Vivo per omne seculum.
Ergo curarum VULNUS quid inurere damni
Mihi queat, sum nescius:
Dum mea nunc animi vivit constantia in amplô
Cælestium consortiô.
Quidve nocere queat vulnus, non sentio, cordis,
Meæq; conscientiæ:
Dum sincera quies animi, mentisq; voluptas
Me cum beatis totum habet.
Hinc de lætitiâ tantâ, tantâq; quiete
Mihi gratulemini Mei.

Lugens apposuit

Lucas Lubbecius Schlaviâ Pom.




III.

THariades veræ fidei ditißimus olim,
Exemplo vitam hanc sat probat eße suo
Hospitium: peregrinantes velut advenæ adimus,
Atq; viatorum linquimus instar idem.
Is veluti nunquam fundum poßedit ut hæres
In terra Canaan, sed modò sarcophagum:

Sic

Sic & Adamigenæ dum mundi in cardine vivunt,
Legati capiunt nil, nisi busta cava.
Corpus enim solum mandatur partibus orbis,
At mens conscendit limina dia poli. (in quo
Ergo nihil vita hæc, nisi quoddam est hospitium,
Hospes, quod sibi onus, deijcit, & statim abit.
Hanc ecquis vitam grave pondus onusq; negabit
Mentis? quis quæso haut ausit id asserere?
Iccirco vitam quam primum linquimus, ecce!
Linquimus ærumnas, linquimus omne malum.
Linquimus omne malum; quia cœli gaudia pulchra
Ingredimur, desunt queîs mala, nulla Bona.
Si volupe est nobis, unum evasisse periclum,
Quantum mille, rogo, deseruisse putes?
En! mors non unum, non mille pericula tollit;
Non unum, dico, cuncta pericla fugat.
O igitur nimium felix, qui morte beatâ
Donatus, Wendi, *deseris omne malum!*
O nimium felix, Wendi, *dum morte beatâ*
Donatus transis ad pia Regna poli.
Transitus hic multùm sit felix: Ossa quiescant,
Donec cantabit vox inopina tuba.

συναχθόμενος appos.
Joachimus Müllerus Bernwaldiâ-Pom.



IV.

Ad Viduam relictam.

MOeror, continuus labor, dolorq;
Infelix, Lachrymæ, gravisq; pugna,


Vita

Vita hæc est; subitò ruitq; casu:
Nil firmi, fragile est bonum, atq; vanum;
Et vix vita potest vocari: & est flos,
Qui lætò modicè, & viget serenò
Vultu, (Regius ut refert Propheta
David) sed miserè, tepentis aurâ
Austri flante, perit repentè. Homo quin
Est ut vitrea bulla, quæ per undas
Turgens conspicitur modò vagari:
Verùm jam leviter fugit peritq;,
Dum solvi in tenues videmus auras.
Eheu! talis homo est! via illiusq;
vitæ tam variabilis! caduca!
Ergò cur, Catharina mœsta, grandes
Volvuntur tua Lachrymæ per ora?
Carus cum superârit hæc Maritus
Cuncta, & vivat ovans in arce Sanctûm.
Illic nulla laboris, & doloris
Moles; gaudia sed, simul voluptas
Semper vera viget, fluit perennî
Sanctæ fonte aquâ vitæ, & æviternæ,
Et Salus, requiesq; sempiterna,
A Christô reparata quæ beatis.
Finem, inquam, facito tuis modumq;
Lacrymis, videare ne invidere
Cœli gaudia, quæ capit, Marito.
Illis nec cruciasse Te juvabit
Pectus: quod variarierq; nescit,
Æquâ mente ferendum; & hi dolores
Vincendi bonitate Sunt benigni
Patris. Tu placidam modò quietem
Concedas, putridâ resurget urnâ
Donec voce Dei ad beata tempe.

Rest-

Restat comprecer, ut Dei potentis
Dextra sit Viduæ domus columna.

David Ludovici â Thansâ Maria-
burgô-Borußus.



V.

Caduca vita est, atq; laboribus
Subjecta multis; Sunt hominum omnia
Pellucidum enitensq; vitrum,
Morte cadunt truculentâ & omnes:
Et sicut agri candida lilia
Virent, secantur falce sed ilicò:
Tolluntur en imas ad umbras
Sic Nece, qui valuere, multi.
Verùm queror quid multa? probant modis
Deflenda multis funera id aspera
VVENDI, viri pij, probiq;,
Arte in aromaticâ periti.
Nam mors nigra illi parcere noluit,
Sed tam citò illum de medio tulit.
Hinc ejus anxia est Marita,
Ac Lachrymas, gemitusq; reddit.
Gnati hinc relicti flent nimiùm, & pium
Lugent peræquè mœstitiæ satis
Pleni Parentem, falce Clotho
Quem truculenta Necis necavit.

O dira

O dira Clotho! pollice quæ trahis
Vitæ caduca fila; Necis fera
O vis fera! ah dolor! nefanda
O Lachesis! Furor ô cruentus!

Accuso sed cur jam celeres ego
Parcas? quid illæ promeritæ? datus
Est terminus communis ævi
Omnibus â Patre providenti.

Quare querelis & Lachrymis modus
Sit, sic Jehovæ dum placuit, cui
Parere nos omnes oportet,
Carius hôc nihil expetentes.

Ut fulget ignes Lucifer excitans
Auroræ in alto, VVENDIUS haud secus
In curiâ fulget polarî,
Lætitiâ & fruitur perennî.

Ultimi honoris E. F.

Michaël Guttwil *Fürsteberga-Lusatus Inferior.*

FINIS.

